



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1611. usque ad annum 1617

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1777

VD18 90118898

§. 129. Calvinistarum Gallorum petulantia contra Regem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67313](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67313)

§. CXXIX.

*Calvinistarum Gallorum petulantia
contra Regem.*

Sæc. XVII.

A. C. 1616.

Jam priori anno Ludovicus XIII. decimam Februarii diem assignabat, qua inter Regis & Principum foederatorum Deputatos de ineunda concordia Julioduni ageretur, ea tamen lege, ut interim ab armis utrinque ad Calendas usque Martias cessaretur. Subidem tempus Calvinistæ Nemausii congregati, qui suam sectam in Galliis tolerari, summæ gratiæ loco habere debuissent, jam legitimo suo Regi significare præsumebant, quod adversus ipsum foederatis Principum armis sese jungere decrevissent. Ea res omnibus stomachum movit, nihilominus postea suam agendi rationem edita declaratione excusare nitebantur, hæc exponentes, quod Reges & Principes in rebus Religionem concernentibus Pastori Ecclesiæ non magis, quam Juris Consulto ob causæ, quam tuentur, æquitatem subjecti essent, ipsi vero, tametsi non in omnibus Religionis captibus cum Catholicis consentiant, in hoc tamen conveniant, quod *Pontifex Romanus verus Antichristus sit, & potestas, quam non tantum in spiritualibus, sed sæcularibus etiam rebus super omnia imperia & Regna usurpat,* ejus-

*Calmet. Hist.**Univers. l.*

151. §. 88.

*Gramond.*l. 2. *Hist.**Franc.**Merc. Gal-**lob. tom. II.*

l. 1. 3.

Sæc. XVII. *ejusmodi tyrannis sit, quæ in verum & legi-*
A. C. 1616. *timum imperium transire nunquam possit.*

Ex hoc autem mendacio & calumnia inferebant, quod Regem ab hac tyrannide vindicare, & Parlamentum, tertiumque Ordinem, qui, ut putabant, immodicam Papæ auctoritatem impugnaret, armis etiam tueri obstricti fuissent. Verum quis eos hujus controversiæ judices armatos constituit? ergone sub ementito Regem legitimum tuendi, ejus vero Ministros plectendi studio rebellionem, & rebelles armis fovere subdito licitum est? quænam autem genuina eorum fuerint consilia, ipsimet sat aperte declararunt, dum palam professi sunt, quod *pro conservando jure & Dominio Regis, Papæ tyrannidem profligare e Franciæ Regno voluerint*, quo sane obtentu, mutato nomine Papæ, omnis rebellio honestari posset. Manifestius quoque mentis suæ arcana prodidere, in eadem hac declaratione asserentes, quod tam Pontificis, quam Regis jugum excutere liceat illis, qui Papam sibi injuste hanc potestatem arrogare, ipsumque esse Antichristum agnoscunt, atque in publico munere constituti sunt; sicut enim, ajebant ipsi, Majores honorificum sibi duxerunt, si contra Turcas pugnarunt, cur ipsis *adversus Papam se tueri non liceat*? Pudet sane cetera

cetera, feditiosa, sacrilega, & contumeliosa in eadem hac declaratione ab hisce Calvinistis Regi suo exposita proferre.

Sæc. XVII.
A. C. 1616.

§. CXXX.

*Pax Regem inter & Condæum, si-
bique adhærentes Julioduni
inita.*

Exeunte anno priori Condæus Princeps post acceptam suorum cladem ad Ludovicum Regem literas submissione plenas dabat, ad quas Rex hoc anno die prima Januarii respondens, nobilem quemdam ad Nivernium ducem decernebat, qui cum eo de loco, & compositionis modo ageret. Interea Brisacus Marecallus, & Villaregius nomine Regis cum Condæo de undecim articulis convenere, qui etiam die vigesima Januarii utrinque fuere firmati, proin Rex die decima Februarii conventum Julioduni haberi consensit, voluitque, ut armorum induciæ a die, quo Rex propositos articulos ratos habuerit, inciperent: Hæc ab utraque parte prævie fuere conclusa: altera die vigesima tertia Februarii Rex Pictavio ad Heraldum Castrum profectus, inducias usque ad primam Martii diem protrahabat: Postea pertractandæ paci a Re-

*Vid. tom. xx.
l. 3. Merc.
Gallobelgici
p. 36.*